



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Universitätsbibliothek Paderborn

## Monvmenta Paderbornensia

Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>

Paderbornae, 1669

1. Fontes Amisii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11425**

*Frondosus arboribus fontibusque venerationem exhibebant. De Prussijs Helmoldus lib. 1. cap. 1. circa An. 1168. Usque hodie profecto inter illos, cum cetera omnia communia cum nostris, solus prohibetur accessus lacorum & fontium, quos autumant pollui Christianorum accessu. Alium atque aliam ex causa honorem Luppie caput meretur, nempe ob memoriam sacri lavacri, quo ad fontes ejus, haustis inde aquis, ingenti numero Saxones abluti. Astron. in Annal. Poeta Annon. l. c.. An.*

10. ET ALTE CELATIS NILI PRÆFER ORIGINIBVS. Tibullus lib. 1. eleg. 8. Horat. lib. 4. od. 14. *Te fontium qui celat origines Nilus.* Lucan. lib. 10. Plinius. lib. 5. c. 9. *Nilus incertis ortus fontibus.* Hinc apud Æthiopas aqua è tenebris profluens appellatur. Licet ergò Nilus

11. INNVMERIS TVMIDVS PETAT AMNIBVS ÆQVOR. per ostia plura, ex quibus septem potiora Plin. l. c. enumerat.

12. FONTE TAMEN MAIVS. illustrius religione & armis, castris & concilijs, & tam Romanæ quàm Francicæ historiæ monumentis celebratum nomen habet Luppia: nam Nili è contrario fons aut omnino absconditus, aut saltem obscurus & incertus, nec ullam memorabili re insignis & cognitus. Plin. l. c. *Nilus incertis it fontibus, & per deserta & ardentia, & immenso longitudinis spacio ambulans, famaque tantum inermi quesita cognitus, sine bellis, quæ ceteras omnes terras invènere.*

## FONTES AMISII.

I. FONTES AMISII. Qui lingua vernacula *Ems*, à Melà & Plinio *Amisius*, *Amisia* à Tacito, Strabone *Ἀμασία*, Ptolemeo